

ORATIO

In solenni Studiorum Instauratione

HABITA

In Aula Maxima Collegii Neapolitani
Societatis JESU

Quarto Nonas Novembbris An. Rep. Salut. M. D. CC. XI.

A CAMILLO DE QUINTIIS


EJUSDEM SOCIETATIS

EXCELLENTISSIMIS DOMINIS

ELECTIS

Ad Regimen Excellentissimæ Urbis
Neapolitanæ,

Inter Hispanie Magnates Primi Ordinis adscriptæ
DICATA.



NEAPOLI M. D. CC. XI.

Type Felicis Mosca, Typographi Excellentissimæ Urbis Neap.
usu, & Sumptibus Excellentissimorum DD. Electorum.

SUPERIORUM PERMISSU.

XII

5

1030.28

Digitized by Google

Excellentissimi Dominis

- D. FULVIO CARACCIOLLO MONTIS SARDI DUCI.
- D. PARTHENIO RUSSO.
- D. HORATIO MUSCETTOLÆ MELITI DUCI.
- D. FRANCISCO CAPANO .
- D. FABRITIO RUFFO.
- D. CAROLO CAPUANO.
- D. JOSEPHO DE ANGELIS S. DONATI DUCI.

Electis ad Regimen Excellentissimæ URBIS Neapolitanæ,

*Inter Hispaniæ Magnates Primi Ordinis
adscriptæ*

CAMILLUS DE QUINTIIS SOC. JESU
Perpetuam Felicitatem.



*I quis forte , Proceres Excellentissimi ;
consilium hoc reprobendas , quod mei pend
timor vestrum audeam in conspectum venire , oeu
lof.*

A 2

losque laceſſere ; is profecto , ſi rem iſam putet , inde mihi
veniam deberi ſentiet , unde nonnulla metuenda repre-
benſio videbatur . Nam quæ retinere me debuit veſtra
iþorum dignitas , atque amplitudo , eadem impulit , ac pe-
nè präfidentem efficit . Id enim vos iþi , honoris ampliſſi-
mi beneficio , demandaſtis , cum mihi Moderatorum meo-
rum imperio vim blandam , ut ita dicam , admovifſtis , ut
Orationem veſtrā bac in Urbe pro ſolenni Studiorum In-
ſtauratione habitat prälo committerem ; & quam publico
conceperam bono , publici quoque juris quoddammodo face-
rem . Hoc mihi quām honorificum , tam ſuprā votum ; &
quò non modò ſpem nullam , ſed nē cogitationem quidem
iþam intendere auſus eſſem . Non enim is ego a naturā ,
eui in aciem , ſolemque prodire velim , cum inter calones ,
ac lixias mihi vix literariis in caſtris ſit locus . Nec me la-
zebat , lucubrationem hanc meam , quam Adolescentium
animos Majorum fuorum exemplo , ac Patriæ in primis
optimè de Sapientiā ſemper merita , ad literarum ſtudia
impulſurus protuleram , ejusmodi eſſe ,

— quam non

(a) Multa dies , & multa litura cōercuit , atque
Perfectam decies non caſtigavit ad unguem ,
ſed quam de muſto propemodum fervidam , ac lacu tumul-
tuarius oppletæ tenebris mentis impetus dum vix partu-
riverat , peperit . Sed parendum omnino fuit , magisque labo-
randum ne minùs obſequens apparerem , quām ne parum
prudens . Quamquam quid eſt quòd Orationis meæ culius ,
qui nullus profecto eſt , adeo Jolicitum babeat , cum
magnus a Vobis iþis illi ſplendor accedat ? Ita ut jam non
ſuā , ſed veſtrā tanūm , cuius induit vulsum , ſe ſe me-
riatur forunā . Animos gerit illa altiores , ac ſuprā quām
Natalis conditio präſtare queat , cum ſe per humaniter a
vobis excipi videat . Fluminum in morem , qua fontis ,
exci-

(a) Horat. in Arte.

excipi quidem, a quo originem suam traxere, penitus
oblita, alveo tantum latissimo, quo subinde excipiuntur,
se jactant. Materie igitur, que in germana inclita bu-
jus, atque Excellenissima Urbis effigie versatur, ma-
terie, inquam, si minus arte felicior. Magnam mibi pro-
cul dubio, & si non eloquentia, obsequii tamen, atque ob-
servantiae laudem vindicabo; maximaque mibi gloria
erit eos præ ceteris veneratione prosequi, atque officiis,
quæcumque illasint, demereri, in quos tot Superi conges-
sere & Naturæ bona, & ornamenta Fortunæ: Eorum
gratiam aucupari, quos animus ad grandia quæque fa-
ctus eò dignitatis attollit, ut singularem ipsam, ac sum-
mam generis claritatem virtute antecellant; demanda-
tumque hoc administranda Reip. munus, majus suscipien-
do, gerendoque faciant; adeo ut commissa istibæc (a) Ita-
licarum, ut Pbilippi Alexandrini utar testimonio, maxi-
ma Civitas sibi eorum (b) bumeris attolli, atque auge-
scere videatur: quod olim de Româ, Trajanô imperante,
Plinius Orator idem, & Consul. Ac mibi quidem vestri
Ordinis majestatem intuenti, ea dignitas, splendorque
Regiminis apparet, ut volens lubensque (c) Bernardi
Tassijurem in verba, qui tanta Urbis demiratus ampli-
itudinem, in ipsam profectò perbellè cadere existimavit,
quod (d) Pyrrho Epirotarum Regi de Romanorum Sena-
tu interroganti Legati. Èa quippe majestatis luce perfum-
dor, ut de bac vestra Urbis Coronâ dici etiam queat, non
privatorum hominum, sed Regum esse Confessum. Tan-
to igitur, nec immerito, superbientem nomine, quod prima

præ-


(a) Philip. Ferrari Alexandrinus in sua Topograph.

(b) Plinius in Panegyr. Trajan.

(c) Bernardus Tassus in Dialogo contra Martellum italicæ
conscripto, cui titulus: Del Piacere onesto, quem in tertij
parte Operum Torquati Tassi videre licet.

(d) Luc. Flor. lib. 1. cap. 18.

præfert in fronte, in publicam, vestramque lucem non timidè prodeuntem Orationem banc fisto; Cui nempe Vos ipsi dum taxat premium facitis, splendoremque, quem de suo non habet, conciliatis. Vestro tegatur auspicio, quæ vestro prodit imperio. Quam per vos illa primò lucem aspicit, eadem per vos tuò fruatur; par enim est quibus oritur caussis, iisdem rem quamlibet conservari. Erit hoc tributum verius, qudm munus: & levidens quanvis, perenne tamen, atque eternum obsequantis animi monum.



Nullam



7
*Nullum certius Neapolitanæ amplitudinis
quam a Sapientiâ : nullum præcla-
rius Sapientiæ quam a Nea-
poli testimonium .*

ORATIO.



Uod unum ad exornandam auspicatam
hanc redivivæ Sapientiæ celebritatem,
conciliandumque literarii laboris amo-
rem plurimùm valere opinamur ; il-
lud profectò esse arbitror quod non
sine incredibili gestientis animi vo-
luptate hodiernâ die contigisse mihi
gratulor , Proceres Nobilitatis æquè
ac virtutum insignibus ornatissimi .

Quid enim pro Sapientiâ de Majorum
instituto dicenti gratius accidat , quid potius voto cedat ,
quam eam præclarissimorum hominum nancisci frequentiam ,
eam , summis dumtaxat Oratoribus parem , fortiri Coronam ,
qua nullam viæ , nullam famam , generisque commendatio-
nem , quam a literis , reputet ampliorem ? Quodnam ad elo-
quendum vehementius , ad impellendos Adolescentium ani-
mos diuturnâ jam cessatione feriatos , acris efficerit in-
cita-

citamentum , quām apud eos pro literis Orationem habere , qui magni nominis claritatem , avitæ originis decus , immortalitatem denique ipsam ab iis vel unicè , vel præcipue sint consecuti ? Atque cā mihi de caussâ lētandum in primis , aō magnopere exultandum video , quōd verba pro Sapientiā fa-
lētū , id mihi hoc loci , atque hac præsertim in Urbe con-
tigerit , in quā tam magna , tam ferax laudum seges subo-
riatur , ut nulli , vel rerum penitus imperito , atque ignaro ,
deesse possit quæ triumphet , atque exultet Oratio . Non hic
adventitiis , ac peregrinum quiddam sonantibus contenden-
dum argumentis : Non alienis delibanda e fontibus , quæ
domi pleno , ut ajunt , alveo exundant . Atque id enim ve-
rō , id caussæ profectō fuit cur provinciam hanc , ingenii
viribus omnino imparem , non adeo invitus subeundam pu-
tarim . Etenim cum multa se se mihi objacerint , quæ mē ab
hoc aditu laudis , qui semper optimo cuique maximè patuit,
jure prohiberent ; Cum probè tenerem ad summam hujus loci
amplitudinem me parem eloquuntæ facultatem asserre non
posse ; Statueremque nihil hic nisi multā elaboratum , ac per-
politum industriā depromētum ; defugissēm procul dubio
munus : nec existimassem in erudito hoc disciplinarum
omnium Theatro versari me nullis vel naturæ , vel doctrinæ
teclū , munitumve presidiis . Sed confirmavit , ac prope
jacentem animum erexit Confessus hic vester multō jucun-
dissimus , atque ad literarum celebrationem adeo accommoda-
tus , ut vel cessantes ad dicendum impellat , urgeatque nolen-
tes . Ut igitur Optimarum Artium dignitas , ac liberalium
disciplinarum splendor summoperè eniteat : ut literarum stu-
dia repetantur alacriūs : abundē satis mihi erit pro virili con-
tendere , ac planum omnibus reddere , quantum semper Nea-
polis a literis , quantum literæ a Neapoli gloriæ , atque or-
namenti retulerint . Id verò enucleatè ut præstem , illud in
me probandum , illud vestro firmandum suffragio recipiam :
Nullum scilicet , Nullum certius Neapolitanæ amplitudinis
quām a Sapientiā : Nullum præclarius Sapientiæ quām a Nea-
poli Testimonium . Quamobrem adeste animis AA , ac me pro
literis , pro Patriā dicentem humaniter attendite . Si minus in-
terim pro rei dignitate personam , ac partes , quæ mete sunt ,
sustinuero , tanti fuerit magnis ausis excidisse .

ET

 T sicut ut Orationis meæ vel sub initium liquidat exorsus appareat : ut ea , quæ pro maximâ hujus Urbis amplitudine , ac majestate faciunt , uni Sapientiæ referantur accepta ; illud perspectum vobis , exploratumque velim , quantum gloriæ semper , ac dignitatis cuique attulerit ita inter alios virtute eminere , ita ceteris claritate nominis , famæque laude præstare , ut nonnisi singulari commendationis præconio celebretur . Magnum quippe , ac prope divinum id assequi , ut quibus te Natura parem esse voluerit , ab iis virtus secernat . Hoc enim verò laudis studio trahimur omnes : hac gloriæ dulcedine ducimur , ut suo quisque altior fastigio , ac vulgi major invidiâ omnium in se ora , oculosque convertat . Nihil enim soliditatis , atque eminentiæ ea putamus habere , quæ in commune vocantur , quæ ceteris etiam labor potuit , atque industria peperisse . Hæc est veræ germanæque magnificentiæ solida effigies , atque expressa : hic absolutissimæ amplitudinis color : eam nempe sibi gloriæ ostentationem vindicante , quæ ed celsitatis attollat , ac singulariter supra ceteros evehat , quod altius vel nemini unquam , vel paucis quibusdam contigerit pervenisse .

Quæ cum ita sint , quid est cur hæc tenus ancipiti cogitatione hæc illac in deliberando distractus hæream AA ? Firmioribus ne argumentis agendum , ac signis , quæ orationi meæ authoritatem afferant , ac fidem , cum habeamus firmissima ? An non suâ , in quâ versatur , luce se prodit , maxima illa , eademque amplissima hujus Urbis decora , atque ornamenta a literis potissimum esse profecta ? cum satis superque perspicuum sit , atque constet , harum ope , atque operâ per omnes honorum gradus elatam adeo in altum se sustulisse , ut singularis propemodum habeatur , ac summa .

Multa mihi , & præclarissima quidem ad vestri nominis exorationem ante oculos sæpenumerò obversantur : ac meæ consuetudinis est ea crebris usurpare sermonibus , quæ ad tantæ Urbis originem , ad præcellentem Equestris Ordinis dignationem , ac lectissimum illum probatæ nobilitatis , Italici uimirum sanguinis florem , atque excellentiam conferre plurimum possunt . Cujus enim aures peregrinentur , neque in tam pervagatâ Neapolitani generis celebritate versentur ? Quis tam hospes in hac Urbe , qui nesciat quantum illa semper honori velificata sit

fuo? (a) Quot illa Supremos bellicos, maritimique rei Praefatos, Exercitus Imperatores, amplissimosque Præreges: (b) Quot illa Purpuratorum Senatui adlectos, ac summos (c) Christianæ Religionis Hierarchas; (d) Quot denique spectatae sanctimoniae Cives gloriose mortis benefic o viventes Divorum Ordinibus adscriptos procreavit? Infinitè propemodum fueret sermo, qui domi, ac militiæ, terra, marique res gestas vel carptim, cursumque delibare vellet. Quas quidem ita magnas esse fateas oportet, ut quemadmodum invidiam, ita eloquentiam omnem superare videantur; ita varias, ac summas, ut rerum diversitas intentionis aciem abrumpat. Quis enim unquam ingenii fons tam exundans: quæ tanta in dicendo copia, in scribendo ubertas, in exornando facultas, quæ laudatione saleem aliquâ quæ summa sunt in hac Urbe, hoc est omnia, prosequatur ex parte? Ea quippe, ea est hujus Urbis Majestas, ut ad augendam ejus dignitatem contendisse propemodum Virtus, & Natura videatur; ea claritudinis fama, ut seculorum omnium memoriam vigeat: officiosâ posteritatis commendatione quotidie magis emescat: Eternitatem denique ipsam arcano quadam stupore defigat.

Verum quantumlibet satis ampliam Neapolitano generi conciliaverint gloriam quæ haec tenus delibavimus: tamen hos affirmatè pronuncio, & hoc pace dicata vestra AA Optimi, longè ampliora decora illa, atque ornamenta fuisse, quæ a literis impertita accepistis. Magna quidem ea sunt quæ pro hujus Urbis amplitudine Majores vestri gessere, omnium linguis, prædicatio-

(a) *Vide Franciscum de Petris Histor. Neapol. lib.1. cap. 6., qui Livium, Blondum, Procop., Tarcagnot., Platin., Marcolin., Capac., Diodor. Sicul., Halicarnass., Villan., Ammirat., Fazzel., ceterosque plurimos resert; allegaque precipue Neapolitana Tabularia, vulgo della Zecca.*

(b) *Ex Alfonso Ciaccon., & Augusto Oldoin. de Rebus gestis Rom. Pontif. & S.R.E. Cardinal.*

(c) *De Petris lib.1. cap. 3. ex Platin., Honuphr. Pannui., Ciaccon., Oldoin. &c.*

(d) *Ex Syllabo SS. Neapolitan. typis edito iussu Eminentissimi Cardinal. Decisi Carafæ.*

tione, literis, marmoratisque laudibus celebranda. Sed tamen sunt alia majora, quibus præstantissima hæc Urbs ceteris altius emineat, ac singulariùs se se efferat in sublime. Age porro: fidem dictis ea faciant, quæ fidem penitus videntur excedere. Quid vero primum loquar? aut unde potissimum exordiar in Urbis ne principia, an ejusdem incrementa commemorem? Utique certè ea sunt, ut caußæ, quam quæ maximè, ad stipulentur meæ.

Ne vero speciosius quam verius id a me dictum putetis, respicite, quæso, quoad longissimè potest mens vestra complecti, atque hujus Urbis memoriam recordamini ultimam, inde usque primas rerum origines, proximaque originibus repetentes, a quibus vestri generis stirpes, & capita deducuntur; atque inde proficiunt Oratio, unde major Neapolitanæ amplitudinis trahitur splendor, ac certius eruitur testimonium.

Et quidem si ad eximiam generis nobilitatem, ac singulariùm ayiti nominis præstantiam illud facit apprime, a parentibus nempe summo loco, ac splendidè natis fortuna ortum ducere; ac veteris prosapie. Majores recensere: quæ unquam Neapolis quam a literis origo nobilior? Quod nam ad Neapolitanæ amplitudinis argumentum illustrius, quam eos vestras Urbis conditores, ac veluti genitores habere, qui, Chalcide quamvis profecti, originem tamen suam, (a) ut memoriaz proditum, non menque in Athenas referrent? An non id eo consilio factum putem, ut hisce fundata hæc Urbs molitoribus, Athenas ipsas (b) Doctrinarum nempe omnium Inventrices, sui generis præseferret, authores? Ut jam tum ab initio repetitis ab eruditissimis Atheniensium gente natalibus, maxima hujus Urbis celebritas uni Sapientia deberetur.

An nec sibi constitere auguria? Ecquis unquam eat inficias, negetque a magnificentissimis hisce primordiis magnam huic

B 2

Urbi

(a) Ex Jo: Villan. Neapol. Chronic. cap. 3., Raphael. Volater. Geograph. lib. 6. Tarcagnot. lib. 1., Sabell. lib. 3., Leandr. Albert. in suâ Ital., Ambros. Leon. in Histor. Nolan., Sansovin., Ponson., Benedict. Falco, Zenob. Acciagoli in Orat de laudib. Neapol., Summontio, & Jul. Cesare Capacio Historia Neapol. lib. 1. cap. 3.

(b) Cicer. lib. 1. de Orat.

Urbi anthoritatis fieri accessionem , cum in amplissimo rerum omnium statu consistere , ab hoc unicè pendeat , vel maximè ? Ut verò pressius agamus , ne vobis assentatoris in morem imposuisse videar AA : an non in summum evasisse literarum beneficio hæc Urbs dici potuit , quæ vix in lucem edita tanquam Sapientiæ sacrarium , ac sedes est initia? (neque enim ætatis expectandus est cursus in festinatione virtutis .) Nulla quippe recenseri potest ætas vel ultima , quin literæ non recenseantur : nusquam non Sapientiæ vel ab ipsis incunabulis non mancipata . Mancipata tantùm ? imo verò optimè de eâ semper merita . Quæ non exterarum gentium ductu , sed nativis quibusdam igniculis : non aliorum præceptis , sed suo propemodum marte literis inhiavit . Quæ priùs Philosophos , ac Præceptores excepit , quām Cives : Lycea priùs extruxit , quām Domos : priùs doce-re , quām lucem aspicere visa est .

Vos enim jam (a) præclarissima olim Urbi huic æqueva , ac toto terrarum Orbe ab heroicis usque temporibus celebrata Gymnasia hinc testes appello : Eritis profecti , vel ruderibus ob-ruta , eritis semper immortale Neapolitanæ amplitudinis monu-mentum ; (b) eâ dignum recordatione , ut ne ingratâ quadam temporum injuriâ deleretur , aut invidâ posteriorum reticentiâ consepultum jaceret , viget adhuc , æternumque ad vestræ celebritatis incrementum vigebit Neapolitanæ Academiæ præ foribus tanti Operis , gloriæque memoria ; & mutæ quamvis literæ illæ magnifico opere ad coronidem incisæ adhuc loquuntur , neque unquam de vestris laudibus conticescent . Eniteat enim verò , ac singulariter Gymnasium illud eniteat eâ potissimum com-mendatione celebrandum , quod (c) legibus a Friderico , atque honorariis auctum locupletissimis : quod (d) Caroli Andega-ven-

(a) *De Petris lib.1.cap.6.*

(b) *Allusum ad eam , quæ Neapoli præ Januâ Maximâ Regii Gymnasi , Autore P. Jo: Baptiflâ Virgo Soc. Jesu legitur Inscriptio , cuius initium: Gymnasium cum Urbe natum Ulysse auditore inclytum , &c.*

(c) *Ex Adversariis citati Tabularii sub Friderico II. An. Domini 1258. Fascic.93.fol.20.*

(d) *Ex eodem Tabulario sub Carolo I. Andegav. An. Domini 1272.D.fol.7.ter.*

vensium primi regio postmodum sumptu, ac meliore fato surrexerit : quod (a) PHILIPPO AUSTRIACORUM TERTIO , atque Invī Etissimo Rege basilicē extructū se majis extulerit, magnumque ad id usque temporis spectaculum præbeat, ac maximam intuentes in admirationem traducat . Quid tum postea ? an non longè magis eniteat oportet quid in ipso Urbis exordio cum Urbe ipsā natum luculenter ostendat , hospitem alibi Sapientiam, hīc verò non alumnam modò , sed popularem , ac civem : Civitate vel tum primò donatam cum Civitas esse cœpit ; ut exinde liqueret quanti Urbs illa futura esset in posterum , cui maximam origo ipsa cedebat in gloriam, atque adeo maxima origini laus innascebatur ; id continud̄ jam tum tacitā fortis confessione assoluta, quod matura paulatim ætas, ac totius vitæ labor vix aliis imperit.

Magnum quidem est factis gradatim stipendiis primas aliquando sub Sapientiæ signis obtainere ; longè tamen aliud illud est, quod Neapoli fata indulseret, ut nullā ad acquirendam gloriam cunctatione tyrocinium ipsum emeritis literarum decoraret insignibus; ac ne reliquias quidem urbes illi puderet assurgere, quæ ceteris illustrior oriebatur . Ed enim (imperare mihi quippe non possum, quin tibi gratuler, Urbs præclarissima) ed te præstabilis isthæc Natalium tuorum prærogativa provexit , ut extra omnem dignitatis aleam posita videaris. Tanta est originis tuæ nobilitas, ut nihil tibi honoris addiderint cetera, quæ, quamvis amplissima, consecuta es ornamenta ; nec possit Fortuna iuri suo adscribere, quod natalibus tuis jamdiu debitum nascendo meruisti. Toto hoc , quantumcumque illud est , quod certè maximum est, te non intervertit, ac se se ab istius gloriæ societate secernit. Scio equidem non nisi sensim , ac leniter niti oportere quemcumque, qui ad altiores honorum gradus festinat ; nec verò statim in excelso positus quisquam ad summum potuit pervenire. Dispar tibi Fatorum conditio : idem enim dignitatis quod vitæ principium; hoc singulare præ ceteris habuisti, impedimenta ætatis, ac naturæ nescisse: ipsaque ortus tui nobilitate fultam in ipso lucis rudimento verticem te gloriæ tenuisse , & ea quæ summa sunt non sperare, sed habere . Ad maxima siquidem festinantibus fatis hæc tibi rerum exordia debebantur.

Ita

(a) *Ex eadem P. Ursi Inscript.*

Ita profectus : ut jam tum palam omniaibus fieret , Urbem
hanc unicè factam ad literas , ut prope modum doctrinarum or-
tium magistra doceret: haberetque ab illâ quo ceteri literis cla-
serent: tantumque celebritatis , authore Seneca , assequeretur, ut
huc (a) sapientissima literatorum lumen ad honestam studio-
rum quietem appellerent. Quid enim aliud (b) Galenû ex Epidau-
ro,(c) e Lænno Philostratum , (d) Claudio ex Ægypto , (e)
Mantuâ Virgilium , (f) Silius Italicâ , (g) Patavio Livium , (h)
Româ Tullium , (i) Lucilium , ceteroque plurimos avocavit,
nisi ut hic ad sapientiam claris informarentur ? cum is esset up-
banus bonorum Artium nitor, ut (l) Pompejus ipse , quem milita-
ris gloria Magnum , maximum verò reddidit. Sapientia , Romani
penè pectoris Neapolitanî sermonis elegantiam libertius infar-
paret . (m) Ubinam gentium Augustus ille imperatoriâ majestate
ne, an Philosophi cognomento celebrior Aurelius, nisi hic Philo-
sophiae preceptis animum excoquuit effluentius ? Quid ipse
vitæ , morumque ubique magister Seneca sibi voluit, cum senio
prope confectus hic tantum fieret auditor? (n) Quid Grecos ipsos
Nea-

- (a) Ex Senecâ in Epist. ex Zenobio Acciajolo in Orat de laudib. Neopol., & Stratone lib.3 in fine.
- (b) Jo: Baptista Elius Medic. Neapolit. de Bain. Puteol., & Summont. tom.1.lib.1.
- (c) Idem Philostrat. in Iconib. , Petrus Lafera in Antiquo Gymnas. Neapolit. cap.8.
- (d) Capac.lib.1 cap.18.
- (e) Petr. Crinit. de Pœt. latin. lib.4 & 65., Acciajoli loc. cit., & idem Virg. in Georgic.
- (f) Petrus Crin loc. cit., & Plin. in Epist.
- (g) Capac.loc.cit.
- (h) Acciajoli loc. cit. Leonard. Arcim in Epist. ad Martin V.P. Mde laudib. Neap.
- (i) Quintilian. lib.10.
- (l) Jo: Ant. Summontius Histor. Neapol. tom.1.lib.1.cap.6. ex Ciceron.in Epist.ad Attic.lib.7 epist.2., & ex Philostrat.in Iconib.
- (m) In Vitâ eiusdem Marc. Aurelii cap.2 in fin.
- (n) Ex Benedic. Falco de laudib. Neapol., qui Joviani Pontani testimonio utitur.

Neapolim , tanquam in studiorum suorum Matris finum , ut Pontano visum , compulit magis quam celebritas literarum ? Sapientiam quippe gens illa haereditario propemodum jure ab hac Urbe repetebat : quod scilicet Athenarum splendor , ac gloria cum fœnore cessisse videbatur : hic tantummodo Urbs illa dignitatis , ac vita superstes sunt , tanquam e cineribus emersus phœnix , eternitatem consecutura .

Atque hoc enim verò , hoc maximè altioris mentis significavit Antiquitas , (a) cum Neapolim Parthenopen a Pallade verius , quam a Sirenibus inauguratam voluit : perinde ac celeberrimo illo Athenarum Parthenone , hoc est Minervæ Fano , deleto , novum hic Athenarum Palladi sacrum auspicatori siderum cursu tandem aliquando consurgeret ; ubi nempe ab his Sapientiae litaretur , qui Minervam Athenarum Deam , vel altricem colerent , vel parentem ; fuos profecto tanquam degeneres rejectum liberos , qui vel a pueris præcoce litterarum fructus non representarent .

Equid enim verò aliud veteres illos (b) Palladi sacrae Lampadum ardentium Palestre volebant ? Quid Tædorum , repetitos ab Atheniensibus more , concursationes per Urbem , Lususque significabant ? Quorū hæc Neapolitanæ Juventutis oblectamenta tendebant ? Quid (c) Numismata illa , quæ ad posteros cum gloriâ transierunt , Noctuis Minervæ insignibus insculpta præferebant ? quid his postulabatur ? quid agebatur ? Nihil profecto , nisi ut luce clarius appareret , Civitatem hanc unicō se in Palladis clientelam , ac fidem vel ab initio recepisse , a quæ nempe præclarus sus originis , atque amplitudinis testimonium sortiretur .

Pof.

(a) *De Petris lib. 1. c. 6., Idemque in Praefatione lib. 2. ejusdem Operis ad Eminentiss. Cardinal. Aloys. Cajetanum.*

(b) *Lampadicos ludos in Minervæ bunorem celebratos colligit Capacius lib. 1. cap. 15. ex Pindaro in Olympic.; eosdemque Neapolis , dñcto ab Atheniensibus more , in ejusdem Minervæ obsequium repetitos & Iovenibus concursantibus per Urbem ardentesbus fabricis , appet ex antiquis Numismatis , in quibus Pax expresas referique idem Capac. loc. cit., & de Petris lib. 1. cap. 6.*

(c) *Capac. loc. cit. , apud quem videre licet hujusmodi expressas Icons veteram Numismatum Neapolitanor.*

Possem h̄c ego quidem Urbem hanc (a) Mercurio Eloquentiæ Numini, Phœboque sacram in medium proferre ut antiquæ Nummorum (b) imagines Laureâ, ac Tripode, Cauceo , ac Citharâ insignes, ut sexcenta id genus emblemata exhibent cumulatissimè. (c) Recenserem subinde huc olim, posthabitâ, quam coluerat, Delo, Apollinem, Musasque de industriâ commigrasse : ratum nullibi melius vel nasci laureas , vel innutrir , quam Sebethi aquis felicibus. (d) Abs re non esset omnino Civitatem hanc Sirenum tumulo cohonestatam ostendere . Sed missa isthæc consultò faciamus ; ne falsis hisce inanis gloriæ coloribus fucum faciam veritati; Urbemque hanc pœticis fortasse commentis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis fecisse videat amplior rem . Quid enim Oratori cum fabulis ? Nunquam profectò vera commendationis honor adulterino gloriæ splendore se prodit : nec cum intaminatæ laudis præconio falsitas commiscetur. Quorsum hæc dubiæ fidei argumenta , cum ea ex Annalium vetustate eruatur memoria, ut supra quam cuicunque credibile est Urbis hujus emineant incrementa ? ecque reponantur in loco , ut hūmano altior fastigio , e cælo ipso benè ominatæ felicitatis augurij secum unà traxisse credatur.

Et quidem si Natalium suorum tempora consulamus, quid his ad tantæ Urbis gloriæ auspiciatius ? ad literarum commendationem magnificentius ? cum inter nobilissimos Règnorum ortus, futura mox tot Urbium Dominatrix amplissima , lucem accepit ? Quid illi augustius , quid glorioius contingere unquam posuit, quam (e) Salomone Rege ortam esse ? id videlicet temporis , cum Sapientia cælo devocata regnabat in terris . Indulgenter quippe cæli hoc fuit , ut inter Europam, Asiamque sua munera partiretur ex æquo ; ac dum accessitâ e cælo Salomonis

Sa-

(a) *Marc.Ant. Surgente in suâ Neapol. illustr.lib.1.cap.6., Cat pac.lib.1.cap.14., De Petris lib.1.cap.2.*

(b) *Capac.lib.1.cap.14. & 18.*

(c) *Idem Capac.lib.1.cap.5., Summont. tom.1. lib.1.cap.5. ex Statio lib.3. Sylvar. Sylva 5 ad Claud. uxorem , & lib.4. Sylv. 8. ad Julianum Menecrat.*

(d) *Ex Strabon.lib.5., Plin.lib.3. & 5., Solin.lib.2., Pontian.lib.6., Capac.lib.1.cap.3.*

(e) *P.Jo:Bapt. Mascalus Soc.Jesu in Fassis Veter. Testamento*

17

Sapientia Solymas ditarentur, tunc profecto sui primordia sorti-
fetur Neapolis, quæ Solymarum gloriam æmulata sapientissimos
etiam paritura erat deinceps Dominatores, ac Reges: Robertum
præ ceteris, Seculi sui Salomonem ab Jasone, (a) ac Baldo
clarissimis Jurisprudentiæ luminibus nuncupatum; (b) Quem Sa-
pientia præsertim nomine in Regnum a (c) Clemente Pontifice
Maximo evectum affirmant Historiæ. Decebat enim Neapolitani ad
supremæ dignitatis apicem certissimum esse per Sapientiam
iter.

Hæc profecto, hæc est reptantis veluti prima Urbis infan-
tia. Hæc semina, ex quibus tot Sapientia germina, Patriæ de-
cora præclarissima, pullularunt: quæ digito nunc tantum in-
dicata, mox Orationi mæs pondus afferent, atque ornamentum.
Hæc ultima antiquæ originis ætas. Hæc fatorum exordia: quæ
certè ea sunt, ut non humanæ mentis industria, sed divinæ pro-
pemodum virtuti tribuenda esse videantur. Ea se produnt, ut
nullum certius Neapolitanæ amplitudinis testimonium quam a
Sapientia repetendum apertissimè confiant.

Sed levi adhuc brachio egisse mihi videor, AA, non hic tan-
quam ad metas hærendum; est quod progrediamur ulterius, ut in
illustriori hæc Urbs posita monumento sui speciem præferat,
ampliorem. Illa quippe, illa Neapolis extitit semper, ut magna,
quantumvis licet, a Sapientia consequi potuerit decora, majora
tamen in Sapientiam gratâ vice congerierit; itaque evexerit, ut
nullum præclarius quam a Neapoli amplitudinis suæ nacta sit
argumentum.

Sed quoniam in alteram mihi laudationis partem ingre-
so aliud ex alio succurrit illustrius, hoc vereor in primis, ne
in tam uberi dicendi ratione æquè perdifficile mihi sit exitum,
ac principium invenire. Sapientiam enim hæc Urbs talem,
ac tantam erexit ad gloriam, ut nullâ re magis quam ipsa
gloriæ magnitudine factura fidem Oratio laboret. Non ego
hic præclarissima illa literarum lumen, quorum splendore,

C

ut

(a) *Ex Iasoni Text. Is pot. ff. de acq. bæred., & Baldo l. 3. C. de
sùris, & legit.*

(b) *Summontius in Histor. Neapol. tam. 2. lib. 3. cap. 3. ex eodem
Baldo loc. cit. & l. ut in testato C. eodem titulo.*

(c) *Clementis V. P. M. Au. Dñs 1309.*

ut Terra Sole, Civitas hæc recreata est, in ordinem digesta dintumetabo. Date hanc, Sapientissima olim tanta Urbis ornamenta, (a) Joviani, (b) Statii, (c) Synceri, (d) Marini, (e) Staseæ, (d) Lyci, (e) Aeschines, (a) Torquati, (f) Panormitæ, (g) ceterique id genus innumeri, per quos ad gloriam, splendorem, que pristinum bonæ Artes revocatæ sunt: Date, inquam, hanc veniam Oratori accommodatam, ut temporis angustijs presso, ac spatijs propemodum iniquis discluso, tacito mihi vestra in Patriam, in Sapientiam merita præterire liceat in præsentia. Sileo (b) Academias nostras Ulysse auditore (quanto viro Deus immortalis!) eloquentiæ, atque interioris literaturæ desiderio celebratas. Sileo (i) Apulejum illum, arcane Sapientiæ Sacerdotem Majorum testimonio appellatum, hinc e Numidiâ Sirenibus innutritum: ne scilicet huic Palladis Templo suis deesse videretur Mystagogus. (k) Sub se, vel me tacente, prodat virtute Marinus ille Philosophiæ laude præsignis, quem Neapolis civem suum, atque alumnum, Athenis Magistrum dedit, ut Proclo Platonicorum Coryphaeo in Academiâ gloriofi consors laboris succederet. Eo fane consilio, ut sapientiam quam hæc Urbs ab Athenis hauserat, Athenis itidem in uno affuentiâ reddidisse videretur. Refudimus nempe Græcia sua dona: ut disceret aliquando, crederetque experimento, temporis se beneficio dumtaxat, non ingenii gloriâ præcessisse.

Dies profecto me deficiat, novamque patiar ex copiâ ipsâ difficultatem, si quæ dici in hanc sententiam possunt, conser-

(a) Ex eorum præclaris Operib., quæ extant.

(b) Ex Scaliger. in Poëtic. lib. 6. c. 6.

(c) Ex Ciceron. de Finib.

(d) Ex Plin. lib. 2. cap. 20.

(e) Ex Diogene, & Capuc. lib. 1. cap. 18.

(f) Ex Fazel. Decad. 1. lib. 8.

(g) Ex Girald. in Hæstor. Poëtar., Petr. Crinit. de Latin. Poët. lib. 4. cap. 65; confute præterea Franciscanus de Petris lib. 1. cap. 6. ubi ceteros literarij laude florentes suffissimè recenseret.

(h) Idem de Petris lib. 1. c. 1. & 6. ex Lycoprono Poëta Greco, & ex Inscriptione P. Drif.

(i) Ex lib. 5. Antolog.

(k) Capuc. lib. 1. cap. 18. ex Suidâ, cuius verba refert.

ner exprimere. **Quotus enim quisque est**, qui tantorum hominum memoriam pro virili prosequatur? quorum ea fuit exaltitas, ut territum se (a) Concilijs, ac Neapolitanis Senatus auctoritate celeberrimus ille Philippus cognomento Decius fateatur. (b) Quorum eloquentia eam sibi laudem vindicavit, ut Augustino ipsi in tertio, qui contra Academicos inscribitur libro, ad exaggeratam oratoriaz Artis praestantiam explicandam, Neapolitanæ Urbis Gymnasia fuerint in proverbio.

Fuit enim verò, fuit cur Neapolitani Sapientia superbiret, cum videret se Neapolitanorum Principum, Regumque non modò Domibus, atque Aulâ, sed folio exceptam, ac sinu: non obsoleto Philosophorum pallio, sed purpurâ induitam: nea sordido squantem cultu, sed auro, gemmisque insignitam avo meliore gaudere. Guilielmis quippe, atque (c) Manfredis, (d) Alfonsis regnè, (e) ac Fridericis eo semper fuit in pretio, ut amplissimis illum ditarint, auxerint, ampliarint honoribus. Iis cumulata voluerint beneficiis, ut pristine reddita dignitati splendiorem aucupata sit claritatem. Noverant enim verò hi Sapientiæ clariores, quam Regno, longè expeditius critâ hac bonarum Artium viâ gloria se posse compotes fieri per compendium: cum viderent eruditum nempe pulverem, quam militarem, ingenij aciem, quam ferri conducere magis ad eam votorum summam, in quam a crepundiis rapiebantur. Hebescere profecto arma illa, quæ literarum splendore non eniterent: cum consilio felicius gerantur bella, quam manu. Quid non sibi plauderet Sapientia, cum oculis ipsa suis usurparet eū Urbem hanc, hæc nempe (e) *Hospita Musis otia* (ut Pœtæ accinam canenti) eo literatorum numero, proventuque celebrari, ut vel una (f) Roberti

C 2 Re-

(a) *De Petris loc. cit. afferens ejusdem Philippi Decisi effatum confil. 379.*

(b) *D. August. tom. 1. lib. 3. cont. Acad. c. 16.*

(c) *Sennocr. tom. 1. lib. 1. cap. 4.*

(d) *Consule Anon. Panormit. in Visâ Alfonsi, & Speculum Boni Principis Jo: Santoni.*

(e) *Silius Italic. lib. 12. Belli Punici secundus sub init. loquens de Neapoli.*

(f) *P. Leonardus Cenami in suâ pro Studior. Instaurat. Orat. typis editâ Neap. An. 1671.*

Regia trecentis referta laureatis Poëtarum capitibus abundaret? An non, facto jam fabulæ loco, hic Pindum cessisse arbitraretur, ubi bicipitis Parnassi juga Pausylipo assurerent, Sebetho cederet Hippocrene: pro Pegaso denique gentilitio Neapolitanæ Urbis Equo uteretur: Principem ipsum, grandiore Musarum fato, pro Apolline habitura?

Quid plura? suo ne bono non gratularetur tam excellenti, cum eâ frueretur Civitate, quam Sapientissimorum hominum votis omnibus intelligeret exoptari? Quam consequi in civium numerum ascitus (a) Aulus ipse (ut ceteros silentio præteream) Aulus, inquam, Archias poëticâ ingenij gloriâ florentissimus, tot ceteroqui, Tullio teste, Civitatibus summo omnium studio expetitus, maximi honoris loco habuerit? An immortalibus illâ gaudiis perfusa non efferretur cum haberet pro certo, Urbem hanc non tam agrorum, ac soli, quâm ingeniorum ubertate præstantem, Sapientiae magis, quâm (b) Naturæ gaudentis opus, ut Plinio visa: Virtutum verius, quâm (c) Bacchi, Cererisque certamen dici oportere? Adeo literis affluentem, ut Eloquentia (attendite quæ loquar, AA, cum hoc locupletissimis probatum iri testibus asseverem) Eloquentia, nempe, (d) Naturæ beneficio propria Regionis esse videatur. Quasi vero eâ Urbem hanc lege communis illa rerum omnium Parens condiderit, ut ne ipsi quidem cælo. Neapoli liceat esse non eruditio. Iis semper delibatis Poëticæ flosculis satis abundantter excultam, ut (e) Mulieres ipsæ apollinari laureâ illustres nascantur ad literas: ut in spectatissimo disciplinarum omnium Museo ne hic quidem sexus a literariâ laude cessaret. Quis fieri igitur unquam potuit ut præclariorum ab alijs quâm a Neapoli suæ amplitudinis significationem habuerit, cum blando Sirenum in gremio educata, inter amoenissimos saluberrinæ hujus Oræ tratus

(a) *Capuc.lib.1.cap.16.*, & *Summont.tom.1.lib.1.cap.5. ex Ciceri in Orat. pro eodem Archia.* (b) *Plin.lib.3.cap.5.*

(c) *Ex Plin.loc.cit., & Luc.Flor.lib.1.cap.15.*

(d) *Ex Uberto Folieto de laudib.Neapol.*

(e) *De Petris lib.1.cap.6.*

(f) *Ex Scaligero lib.6.*, *Petro Crinit.*, & *Alexandr. ab Alexand.*, qui multas Neapolitani generis Mulieres literis illustrerant.

Ans (a) ad Ingeniorum culturam, ut Aretini verbis hinc utar, unius et accommodatos, suo hinc tanquam e cælo spiritum ducere visa sit oratoris Artis facultas?

Memoretur enim verò ad id usque temporis, summisque laudibus Römis ipsa Eloquentia facile Princeps effatur. Sapientissima illa, quotquot extulit unquam, bonatum Artium lumen in lucem prodeant, ac solem. Proh Deus immortalis! quæ Oratorum milia, Romana ornamenta Reip., in conspectum cadunt! qui modus in dicendo! quæ Suadæ medulla! qualis, quantusque sententiarum subinde vibrantium concentus! quæ vis adamentatas hastas oratoris lacertis torquendas, ac robur! Verum ut ut ubetem Romano nomini gloriam celeberrima isthac Oratorum frequentia comparare, an non ubetiorum Neapoli comparet necesse est? cum (ut gravissimo Seneca testimonio compemus) (b) Rhetorum hisce nostrorum Palatinis fuos Roma debeat Oratores: ex hac enim Urbe, tanquam Trojano ex equo, ad caueas Romæ orandas hi saepius nemo prodire; hinc eloquendæ præceptis imbuti Foro deinceps se commisere; ut, perpetuo propriæ claritudinis testimonio, quam (c) armis non servat Neapolis vicerat, vinceret etiam eloquentia. O singulariter Neapolitanæ amplitudinis excellentiam! O summi glorie, fortunæque præstantiam! Quid enim, per vestram fidem, dici, aut excogitari potest illustrius? quid magnificentius ad laudem rivenir? Si sufficiat profectus suis destituta Patronis Rostræ elinguis, ac sine honore jacuisset Eloquentia, nisi per Neapolim aliquando stetisset. Patet quippe, par enim verò, rationique consonant videbatur, ut Urbs illa profectus, cui civium suorum viribus, (d) atque armis Römis ipsa clivis una cum Capitolo ab iphi-

C 3

bel-

(a) Leonardi Aretinus in Epist. ad Martin. V. Pontif. M. de laudib. Neapol.

(b) De Petris lib. i. c.6., Capuc. lib. i. c.18. et Senec. in Epist.

(c) Idem de Petris lib. i. c.5., Capuc. lib. i. c.20., Lévius lib. 8.

(a) Bis Neapolitanis Armis Röma libertas adest. Primo Saracenis expulsis sub I. con. IV. An. Domini 850. ut resert D. Antonius. Chronic. Par. 2., Platini in Vita Leon. IV., Ponsani, Blond. & Sigonius libi. 14. Secundo sub Adriano II. An. Dom. 860. cum Desiderio Longobard. Regi aticam ad Urbum Neapolitanæ intercluso, ut Capuc. lib. i. cap. 12. de Petris lib. i. cap. 3.

Belli faucibus; a nefario Barbarorum jugo, atque excidio, semel
atque iterum vindicanda reservabatur; Illa, illa inquam, jam
tum per Sapientiam Romæ optulari assueceret. (a) Quæ toties
animis cœuntibus, atque signis auxiliares ultro copias, ac vires
Urbi sociare debebat, Eloquentiam quoque redderet fœderatam:
non secus ac si prælustra experiretur, poneretque tanto operi
rudimenta. Quamquam quid rudimentis ad hoc illa indigeret,
quæ Urbem ipsam non semel erudierat? (b) Maritimæ quippe rei,
ut Annalium fides consulta testatur, classisque instruendæ noti-
tiā Neapolitanis institutionibus primò assedita, Carthaginis
Roma velitata est olim excidio. Æquo igitur jure per veterē Ur-
bis Magistrā senescenti prope jam Vrbis Eloquentię consulendū.

Atque hoc enim verò, tanquam accepti beneficii sœnus, te-
statum omnibus voluisse crediderim amplissimum illud Romanæ
felicitatis columen, Titum, inquam, Vespasianum Cæsarem Ma-
ximum, cum Imperatorio (c) propemodum sumptu collapsa no-
stræ Urbis Gymnasia restituit. Ut omnibus pro comperto esset
hisce se meritò Academis ævum quodammodo, Romæ nomine,
prorogaturum, a quibus Roma ipsa succum, ac sanguinem hau-
serat eloquentia. I nunc, & nega, nullum pro sapientia testimo-
nium, in Sapientiam officia præclariora nulla quam a Nea-
poli; cum fatearis oporteat, Urbem hanc adeo liberalibus disci-
plinis redundasse, ut in exteris terrarum Orbis nationes diffusa,
Romæ quoque, hoc est in præclarissimo illo bonarum Artium do-
micio, Urbis hujus beneficio, floruerint.

Sed perlevis isthac ponderis videri cuiquam poterunt, si
cum iis, quæ maxima sunt conferantur. Quid nimis antiqua con-
setter, cum in præsens itidem a Neapolitanis civibus, a Vobis
sci-

(a) *Foedus esse pluries istum inter Romanos, atque Neapo-
litanos, Urbesque has fœderatas fuisse, Autbor est Livius lib.8., &
lib.22. Cicer. in Orat. pro Cornel. Balbo in fin. Paul. Manut. de An-
tiquit. Roman. fol. 41. ex Polyb., Sigonius de Antiquo Jur. Italie lib.
2. cap. 14., Marin, Frez. lib. 3. cap. ult., Jo: Villan. Cbronic. cap. 12.
Summont. tom. 1. lib. 1. cap. 6.*

(b) *Capac. lib. 1. cap. 8. ex Polybio.*

(c) *Summont. Tom. 1. lib. 1. cap. 4., Capac. lib. 1. cap. 18., Petrus
Iasena In Antiq. Gymnas. Neapol. cap. 4., eruuntque ex antiquo la-
pide græcè inscripto, qui Neapol. ad D. Agnuntiata inventus est.*

scilicet, pro Sapientia amplitudine argumenta ducantur expeditissima? An magni quidem ad hoc momenti mihi non erit Invictissimum semper Hispaniarum Regem, ac totius Christiani Orbis nunc etiam singulari prorsus in nos summi Numinis beneficiariam Imperatorem, CAROLUM nempe SEXTUM, rebus vel fortiter gerendis, vel æquissimè æstimandis ter Maximum solitum dicitare: (a) Eam se in hac dumtaxat Urbe Sapientissimorum hominum habere frequentiam, ut his unicè universæ Regnorum suorum administrationi satis assatim posset consulere. O dignam Austriaco Principe vocem, tantæ Urbis glorie opportunam, amplificatae Sapientiae per jucundam! quæ quidem plurimis Civitati nostræ benefactorum vinculis magis in dies ac magis obstricta, gestire propemodum videtur: cuius ego jucundissimas voces exaudire videor quotidie, hoc ferme pacto cum Urbe ipsa loquentis. Ego, ego illa Urbibus, ac populis innumeris expedita: honoribus decorata clarissimis: Regum opibus amplificata: Illa ego, illa sum, quæ ut ut a ceteris de me non nunquam optimè meritis magna semper benevolentia habuerim argumenta; Tibi tamen (liceat enim grati animi memoriam recordatione saltem aliquâ excitare) tibi, inquam, Vrbs præclarissima, maiora debui, atque ampliora. Quid ego (b) illustres literatis Otiosorum tuorum laboribus Academias commemorem? quibus hoc singulare affecuta, ut otium ipsum Neapoli ne tantum quidem arrideat nisi literis actuosum. Quid redditam Curiæ dignitatem, non per eos dumtaxat, quos anteactæ statim tempora protulere, sed (c) per hosce præsertim, quos ex hoc eodem loci intueri mihi nunc ipsum letitiis omnibus licet Toga Decora, ac Fori Ornamenta ceteris aliis clariora? (d) Quod miro artis ingenio cælum mihi omnium prima Optici Tubi ope sup-

po-

-
- (a) *A Viris fide dignissimis acceptum.*
 - (b) *Innuitur hic Academia, quæ sub celebri Otiosorum Ticulo Neapoli, quam quæ maximè, sub auspiciis D. Thomæ Aquinatis præclaris semper ingenii floruit.*
 - (c) *Intellige Togatos, qui ad cobondestandam Studiorum Instruacionem aderant cum habita fuit Oratione.*
 - (d) *P. Gaspar Schotti in Magia Univers. Natur., & Artis Mag. Telescop. Part. I. lib. 10. cap. 2. qui Jo: Baptista a Porta Neap. communis omnium sensu Telescopii Inventionem attribuit.*

posueris, parum est. Quod (a) Jurisprudentis vindex antiquos Legum Codices, quibus Florentia nomen fecit, sive ipsa tua complexa, hic afferueris, intra gloriam fortasse præ aliis arbitrabor. Illud profecto, illud est maximum beneficentia erga me tuas monumentum, cui nulla finem afferet ætas, diuturnitas detrahet nulla: quod non immortalibus modò ornatam volueris beneficiis, sed vitâ ipsâ, non secus ac parens altera, frui dederis restitutâ. An dum Italia, dum Terra Orbis ferè omnis, fato nescio quo, misero certe, ac funesto Barbarorum incursibus, quasi tempestate quateretur, uni mihi hostilis Gothorum furor, uni mihi vesana Vandalorum rabies ignovisset? An non, tamquam si aquâ, & igni mihi esset interdictum, capitali conjuratorum odio, seque ac Urbes, & Regna jacuisse extincta? Jacuisse profecto: ac bonis Artibus confepulta magni nominis dumtaxat umbram sustinuisse, nisi penè ab interitu vindicasses. Ita quippe per te felix artifit Fortuna, ut dum gentium ubique armorum furor ad liberalium disciplinarum excidium incumberet, ac rupto veluti aggere literarum corruptela diffliteret, (b) hic unicè bonas Artes nulla barbaries infuscaret. (c) Tunc maximè Sergius ille magnæ indolis adolescentis, Neapolitanæ olim Reipublicæ Dux invictissimus, non ferro magis, quam ingenii acumine obarmatus, fugientem excepit, afflictam erexit, perditamque, metu penitus exhausto, reereavit. Si tamen infelicitas huic temporum cursu talis erat exitus imponendus, prope est ut exclamem tantu' suisse. Undique a Barbaris bona Artes ejectæ, expulse, exurbare, ut hic florentes cultu revirescerent ampliore: haberemque hic dignitatis meæ non assertores modò, sed amplificatores oppidò illustres: per quos nos stetere literæ tantum, sed maximis auctoribus incrementis ad summum pervenire fortunæ. Unum hic præ ceteris omnium instar tui Cœli Solem verius quam fiducia testem voto, Frontam, inquam, Aquinatem, uberrimum illum Theologorum Fontem: quem pro summo laudia præconio sat est nominasse: Quo duce si græ homines rapta, grandiores veluti dominatura, principatumque affectata cœlo ipsi caput intuli usquaque antea gloriessior. Per hunc quispi

(a). Summarunt: Tom. I. lib. I. cap. 4. ex Laurentio Bonincontro de Origin. Neapol. (b) De Peccat. lib. I. cap. 5. § 6.
(c) Idem. loc. cit. ex Jo: Discapo in Vita S. Adalberti Ep. Napt.

quippe arcana Divinitatis adyta apertissimè patuere ; ut quæ terris per te, Urbs inclyta, ævum tantum non extincta agitabam, feliciore per te quoque progressu me major assurerem : cælumque ipsum novâ nominis Majestate complerem ; exploratumque omnibus fieret , majora mea amplitudinis monumenta nusquam potius quam a Neapoli repetenda.

His justissimis Sapientiæ vocibus eritne quispiam qui obseruat, atque obloquatur? mecumque volens non sentiat, ac libens, nullum præclarus quam ab hac Urbe ornamentum in Sapientiam derivari ? Eritne quispiam , qui in tam præcellenti gloriæ, studiorumque Curriculo omnes ætatis , atque industriæ nervos non contendat ? Ad hoc enim verò hujus Academiæ celebritas : hæc loci frequentia: ad hoc parietes penè ipsi hujus Aulæ impellere quodammodo , atque hortari videntur ; (a) Nolâ quippe ex Augusti Theatro lapidibus huc allatis excitati, cum parem vestris Familiis vetustateis , parem vestris ingenii habeant amplitudinem , Familiis itidem vestris , atque ingenii celebrari jure propemodum suo petunt , reposcunt , efflagitant . (b) Sint ingens ad gloriam incitatio hæc spirantia Bonarum Artium Simulacra : (b) Hæ Sapientissimorum Hominum Imagines ad vivum expressæ; Exprobrantibus quotidie Tectis , degeneres hæc alieno tantum frui literatorum triumpho . (b) Florescant in dies magis per te , Augustissime CÆSAR, quem in hoc tanquam Virtutum omnium Prytaneo Ducem , atque Auspicem intueor : ad Sapientiam , ad Regnum , atque adeo totius terrarum Orbis Imperium faustis Parentis Optimi, LEOPOLDI nempe Magni, auspiciis educate: florescant vetera illa literarum ornamenta . (c) CAROLO Christianos inter Cæsares Primo , ac Magno literas postliminio redditas

(a) *P. Scipio Sgambatus in Gratulatione Seculari habita Neapoli An. 1620.*

(b) *Allusiva ad ipsam Aulam maximam Collegij Neapol., in qua habita Oratio: ubi nempe in Aula ipsius fronte Invictissimi Hispaniarum Regis, atque Imperatoris Augustissimi CAROLIVI., Bonarum Artium , & Sapientium Icones præ parietibus expressæ conspicuntur.*

(c) *Vide Philip. Brietium Part. 2. Tom. 2. lib. 9. An. Domini 802. Eginard. in Vita Caroli M., Jo: de Palatio in Monarchia Occidentali lib. 1. cap. 7. in Elogio Caroli M.*

tas debuit olim Europa ; CAROLO nunc etiam inter Cæsares Maximo literas debeat eadem amplificatas . Emerget tanto sub Principe per vos , Adolescentes Optimi , quos hic ad me cohonestandum frequentes intueor , vetus hujus soli splendor , ac gloria . Atque hic profecto (a) ubi Neapolitanorum olim triunphis destinatum , (b) Augusto spectatore inclytum , stetit aliquando Theatrum triumphalibus bonarum Artium disciplinis iterum destinetur . (c) Hic ubi Divam HELENAM Augustam Ordo , Populusque Neapolitanus excepit , Animorum Dominatrix excipiatur Sapientia . Date hoc Patriæ , quæ magnos ad magna progenuit . Date Majoribus vestris , qui vobis præluxerunt ad summa . Jecere quidem hi tanto operi fundamenta , fastigium vobis unicè commisere . Date Indoli , ac Generi : de quo verius quam de Deciorum familiâ dici queat : (d) Nec sit inde aliquid nasci mediocre : tot probati , quot geniti : & quod difficile provenit , electa frequentia . Date hoc Sapientiæ , a quâ tot decora retulisti . Atque ita profecto fiet , ut , posthabito Majorum suffragio , per vos ipsi , Nullum certius vestræ amplitudinis quam a Sapientiâ Nullum præclarius Sapientiæ quam a Vobis testimonium cumulatissimè comprobetis . Dixi

(a) *Summont. Tom. I. lib. I. cap. 4. ex quibusdam vestigiis.*

(b) *Suetonius in Augustu.*

(c) *Ex ingenti lapide , quem in Collegio Neapolit. videre licet cum sua Inscriptione , cujas verbæ referuntur a Summontio Tom. I. lib. I. cap. 6.*

(d) *Cassiodor. lib. 3. Variar. 6.*

Ad Majorem Dei gloriam , ac Deiparæ Virginis sine labe conceptæ .

Angelo * Pandimiglio
restauratore *



825650

* 8274800

